

1463 oppugnatione tentatum : sed prior pugna aliquanto fœli-
 cior fuit, quippe qua munitissimum hostibus locum At-
 tellanus ademit, quo occupato, in actiorem eos orbem red-
 egit. Quum vero altera oppugnatio pararetur, obiretque
 naviter Bertoldus bellica opera, seduloque daret operam
 ut plutei muris quam propius possent, admoverentur, sa-
 xo superne dejecto, grave circa tempora vulnus accepit,
 quo paucis diebus expiravit. Nec imperatoris vulnus a pro-
 posito certamine militem avertit, sed ad diem pugnae fe-
 rociter hostium munitiones subiit : verum bellicis operi-
 bus, quibus tectus ad muros repserat miles, disfrac-
 tis, pertinaciter locum semel occupatum retinuit. Sequenti ve-
 ro nocte eruptione ab oppidanis facta, qui mœnibus pro-
 ximi constiterant, per scopulosa Acrocorinthis latera cum
 cæde multorum & strage sunt præcipites acti. Et quia ru-
 mor erat, ingentem barbarorum vim appropinquare, solu-
 ta obsidione, ad Isthmum omnes se copiæ receperunt.
 Hic Betinus Calcinatus, cui post Bertoldi mortem sum-
 ma imperii fuerat delata, ac reliqui duces, de hostium
 numero certiores facti (ad octoginta equitum millia esse
 dicebantur) suorum paucitati diffusi, quippe qui, abductis
 inde navalibus turmis, quæ se ad mare continebant, tan-
 to barbarum numero omnino impares futuri videbantur,
 relicto sine alio præsidio Isthmo, Neapolim citato agmine
 abire. Vix eo ventum erat, quum tumultuose nunciatur,
 hostem adesse. Ille nanque, Argis receptis incensisque,
 edita ad id ingenti agrestium strage, qui hostium celeri-
 tatem effugere nequiverat, postridie sub lucem ad Neapo-
 lis mœnia tacito agmine adequitarunt. Sed multitudo in-
 gens eos, qui in oppido erant, non fefellit. Subito itaque,
 cognito eorum accessu, ex mercenariis militibus temere in
 eos invec-
 tis triginta equorum pernecitate circumventi, an-
 te portas momento temporis trucidati sunt, reliquis intra
 munitiones trepide compulsis. Barbarus tumultum, qui op-
 pido imminet, occupavit: tum vero ad subitam telorum
 multitudinem, crebrosque tormentorum ictus (quibus den-
 sæ hostium catervæ non solum afflictæ, sed propemodum
 obru-

*Ad Neapo-
 lim bis pro-
 spero in
 Turcos pu-
 gnatur.*